



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Babylas Ep. M. 24. Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

24. Ian. VITÆ SANCTORUM. 6e  
ferunt, & Diva ipsa flammeum suum ob-  
tulit; unde ille abscissam partem unà cum  
Regis Receswindi cultro, & ipso tam  
sancti velaminis tactu jam sancto, ar-  
genteo inclusit. VIRGINEM MATREM  
principe semper studio coluit, ejusque  
SS. integritatem insigni volumine con-  
tra hæreticos edito propugnatum ivit.  
Nec gratis. ASSUMPTÆ siquidem in  
cælos die, cum supplicabundus cum  
suis templo proximus jam esset, Cæ-  
litum manus fores pandit, & virgines  
inter VIRGO MAXIMA in sede Pon-  
tificali conspicua, eidem vestem mirifici  
candoris donavit. Ea hodieque religiosè  
affervata docet, quo filios suos Magna  
Mater uti vestis, aut certè animi colore  
cuperet. *Ex Surio.*

*Talis fuit Maria, ut unius vita om-  
nium disciplina sit; Si igitur auctor non  
displicet, opus probemus; ut quicumque  
sibi ejus exoptat præmium, imitetur exem-  
plum. S. Amb. de Virg.*

S. BABYLAS EP. M. 24. Januarij.

**E**Um ego triumphum laudo Divo-  
rum, quem non soli ducunt in cæ-  
lum, sed cui comes servata juvenus  
ambulat. Talem hodie BABYLAS du-  
xit. Fortè templo se Antiochiæ inferre  
Decius properabat; cum adventanti BA-  
BYLAS Antistes se objecit, & pro eâ, quâ  
erat

62 VITÆ SANCTORUM. 24. In  
erat Christianâ libertate, cani tyranni  
aditum interclusit. Hic in rabiem ve-  
sus, templum ferro flammisque excin-  
di, BABYLAM jubet in carcerem abrip-  
di. Ecce autem nobilissimam vinculorum  
magistri appendicem tergeminos ado-  
lescentulos (URBANUM, PRILIDIANUM  
& EPPOLONIUM dixere) lectissimos flo-  
culos, & quos mellitissimis verbis pri-  
dem sibi magister BABYLAS concen-  
liârat. Poterant hi in ruborem etiam  
Spartam dare, tam forti animo vel ala-  
pas devorabant, vel plagas concoque-  
bant, quæ cum pro numero annorum  
singulis ingererentur, doluere scilicet,  
non Pyliam sibi atatem esse. Stabat  
inter hæc egregius Doctor, oculosque  
discipulorum virtute pascebat, animi-  
que identidem animos de suis addebat.  
Quid multis? ferro omnes cæsi, &  
magister discipulis, discipuli magistro  
sunt immortui. Tam mordicus, semel  
virtute magistrorum capta juvenus la-  
teri eorundem hæret. Caterum BABY-  
LAS vincula nec mortuus dimittere,  
sed in tumulum asportare voluit, id  
quod erat ratus, nullos expeditius ad  
cælum pedes currere, quàm vinctos pro  
cælo. *Ex Surio.*

*Si vis ad perfectionis fastigium pro-  
vehi, amodo necesse est, in cunctis virtu-  
tum studiis exerceri, videlicet dum atas  
tua cerca est, dum mores teneri in quam-  
libet*

25. Ian. VITÆ SANCTORUM. 63  
libet partem valent indifferenter adduci;  
cum ipsis corporalibus incrementis coæva  
virtutum exercitia coalescunt. S. Petrus  
Dam. l. 6. Ep. 26.

CONVERSIO S. PAULI 25. Ianuarij.

**A**Nnus, qui post CHRISTI ad Superos  
reditum erat secundus, idem secun-  
dissimus SAULO fuit. Hoc enim ille,  
personâ feliciter positâ, PAULUM in-  
duit, adnitente potissimum apud DEUM  
D. Stephano, non minus tum in cælis,  
quàm terris olim pro hostibus suis pie  
solicito. Ibat SAULUS minarum ple-  
nus, & in vincula ipsam (si Superi si-  
nerent) fidem tracturus; cum ecce tibi  
subita ab alto vis fulgorque audaciam  
attonito omnem excurrit, & feroces  
humi spiritus cum domino suo affligit,  
simul vox istiusmodi cælo intonat: *Sau-  
le, Saule, quid me persequeris?* mox scif-  
citant: *Quis es Domine?* responsum  
redditur: *Ego sum JESUS Nazareus,  
quem tu persequeris.* Atque hæc demùm  
vox illam nobilissimam expressit: *Do-  
mine quid me vis facere?* Ergo Damas-  
cum conferre se iussus, eò à comitibus,  
& ipsis rerum gestarum miraculo stu-  
pentibus abducitur. Ibi triduum aper-  
tis oculis cæcus ac jejunos ab Anania  
demum & oculorum, &, quod caput est,  
fidei donatur lumine. Hoc ille deinceps  
per